

15929.

DE

PARTU POST MATRIS MORTEM.



DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARUM CÆSAREA

DORPATENSI

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINÆ

RITE ADIPISCENDUM

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Rudolphus Zoepffel.

DORPATI LIVONORUM.

TYPIS VIDUAE J. C. SCHÜNMANNI ET C. MATTIESENI.

MDCCCLV.

PARENTIBUS

CARISSIMIS

Imprimatur

haec dissertatio, ea conditione, ut simulac typis excusa fuerit,
numerus exemplorum lege praescriptas collegio tradatur ad libros
explorandos constituto.

Dorpati Livon. die 19. mens. Februarii a. MDCCCLV.

Dr. Samson,
ord. med. h. t. Decanus.

PIETATIS GRATIQUE ANIMI TESTIMONIUM

B. D. D.

L 17140

FILIUS.

Praefatio.

Ex magna casuum, qui de partibus post matrum mortem traditi sunt, multitudine plerique, id quod dolendum est, ab auctoribus vetustioribus ejus aetatis, qua ars medica ratione parum critica tractari solebat, qua casuum observatorum narrationes saepe fabularum speciem prae se ferebant, memoriae sunt proditi. Qua causa adductus equidem iis exemplis, quae tempore recentiore in observationem venerunt, plurimum auctoritatis tribuendum esse judicavi, ex quibus tamen nonnulla pariter ac priorum narrationes de rerum conditionibus, quibus partus peractus sit, tam parum accurate nos edocent, ut, quum praesertim status post mortem tam varius esse soleat, quo modo partus effectus sit, non nisi cum aliqua verisimilitudine concludere liceat. Alterum

vero incommodum in eo est positum, quod neque tempus, quo mater obierit, plane cognitum habemus, quoniam ad hunc usque diem nullum exstat signum haud dubium, quo statim post hominis obitum de vera morte nobis persuadeamus, neque plerisque in casibus, quo tempore partus sit editus, affertur, sed tantum, quando infans inter matris demortuae femora inventus fuerit, commemoratur.

Casus allatos autem non ordine historico proponendos, sed pares cum paribus jungendos esse existimavi.

Denique restat, ut praeceptoribus summe venerandis, professoribus doctissimis, quorum sub auspiciis mihi licuerit in hac litterarum universitate artis medicae studia colere, palam toto animo debitas gratias persolvam. Prae ceteris tamen impellit me animus, ut professori illustrissimo, viro honoratissimo *P. U. Walter*, qui non solum potestatem mihi fecerit casum a se observatum in medium proferendi, verum etiam in conscribenda hac dissertatione et consilio et re strenue mihi adfuerit, gratias agam, quam maximas. Nec non egregium viri eruditissimi, *Dr.*

Koehler erga me meritum commemorandum est, qui libris, quibus opus erat, suppeditandis rem meam haud parum adjuverit.

Lectorem vero benevolum, si in legenda hac commentatione multos errores, multa manca invenerit, ut mihi ex temporis ad dissertationem exarandam concessi brevitate excusationem petat, etiam atque etiam rogatum volo.

femora infantem exanimum repererunt. Foeminae crura sursum attracta erant, idque tantopere, ut jam porrigi atque extendi non possent. Totum cadaver paululum ad latus conversum cernebatur ³⁾).

N. IV. Simonis *Kreuter* in urbe Weissenburg habitantis uxor, nonum jam mensem gravida, doloribus ad partum exortis, mortua, quum omnes, qui aderant, foetum quoque extinctum esse arbitrarentur, more consueto linteaminibus involuta humi deposita est. Aliquot horis post, clamore audito, propinqui adproperantes matrem quidem jam defunctam, sed ad pedes ejus puellulam haud deformem, optime valentem, invenerunt ⁴⁾).

N. V. Mercenarii cujusdam Goerlitzensis uxor, partus difficultate viribus exhaustis, mortua est. Aliquot post obitum horis infans vivus in lucem est editus ⁵⁾).

N. VI. Cantoris cujusdam uxor, post partum difficillimum extincta erat. Dimidia hora post infans bene valens partus est ⁶⁾).

N. VII. Foemina quaedam, mensem septimum jam gravida, die Jovis tempore matutino, spasmis epilepticis mortem comitantibus, decessit. Die sequenti et os spuma obiectum erat, et strepitus auditus defunctaeque abdomen attolli ac deprimi visum est. Inde quum die Saturni mane propter copiosam sanguinis ex mortuae genitalibus profusionem cadaver denudassent, inter femora infantem etiam tum tepentem invenerunt ⁷⁾).

Pars prior.

Casus de partibus, post matrum mortem editis, memoriae proditi.

N. 1. *Matrona* nobilis, in Hispania degens, ex gente Francisci Lasso oriunda, quum per tres dies animam egisset, a cognatis, qui eam mortuam esse opinabantur, composita est. Postea tamen, inspectione facta, infantem mortuum brachio dextro tenens reperta est ¹⁾).

N. 2. Femina quaedam, quae post haematemesin vehementissimam creberrimamque in partu mortem tranquillam obierat, triduo exacto, infantem jam mortuum in sinu tenens cum summo suorum terrore inventa est ²⁾).

N. 3. Nath. *Voigt*, viri cel., uxor, quum post tres matrimonii annos primum gravida facta esset, simul cum doloribus ad partum et haemorrhagiis et animi deliquiis summaque anxietate exortis, brevi post tempore vita decessit. Viduus, quamquam, sex horis post mortem elapsis, in uxoris abdomine motum sibi animadvertisse visus erat, tamen, cognatis non concedentibus, sectionem caesaream, quam instituere voluerat, omisit. Duodecim inde horis circumactis, iterum in loculo defunctae vehementiorem motum animadvertit, quo facto quum arca aperta esset, inter matris

1) *Diomedis Cornarii* hist. admirand. rar. Lipsiae 1599. hist. 15. pag. 49.

2) *Philippus Salmuth*: Observat. med. Brunsvigae 1648. Cent. II. obs. 54. pag. 83.

3) *Ido Wolfi* observat. chirurg.-med. Lib. I. Quedlinburgi 1704. Observat. 41. pag. 136.

4) *Joh. Mattheus*: Quaest. med. IV. pag. 21. Casus desumptus est ex *Schurig*: Embryologia. Dresdae et Lipsiae 1732. Sect. VI. Cap. VI. pag. 576.

5) *Ehrenfr. Haegendorff*: Hist. med. physie. Rudolphstadii 1690. Cent. III. hist. 13. pag. 297.

6) *Ephemer. nat. curios.* Dec. III. Ann. 7 et 8. Francofurti et Lipsiae 1702. Appendix. pag. 77.

7) *Thomas Bartholinus*: Acta Hafn. Vol. II. Observat. 35. pag. 92. Casus petitus est ex *Schurig*: Embryologia. Sect. II. Cap. 1. pag. 126.

N. VIII. Gorgias Epirota, quum matris cadaver exsequiis efferretur, in lucem est editus ⁸⁾).

N. IX. Matrona nobilis septimo graviditatis mense sexto mensis Januarii die, postquam mane vehementes foetus commotiones percepit, epilepsiae accessione correpta, hora vespertina IX mortua est. Die insequenti mulieres, quae aderant, mortuae abdomen lumbosque et dorsum tepida esse animadverterunt. Nocte insecuta, qua nonnullae mulieres ac duo sacerdotes vigilias agebant, in defunctae abdomine rugitus crepitusque auditi sunt, abdomenque ipsum paullulum sublatum brevi post, sibilo quodam vagitus instar audito, collapsum est. Quum homines vigilantes pavore commoti corpus nudare non ausi essent, demum die insequenti, i. e. m. Jan. VIII, quo idem sibilus aliquamdiu auditus erat, inter horam decimam et undecimam cadaver vestibus exutum est, quo facto inter mortuae femora infantem masculum adhuc tepidum, seroto contracto, invenerunt. Hora exacta infans frigidus rigidusque exavit ⁹⁾).

N. X. In ephemeridibus tale legitur testimonium forense. Urbis Gerdaen decurio et magistratus secundum veritatem testatur, Michaelis *Scheffler* uxorem annos viginti quattuor natam, quum ultimo graviditatis mense partum paucis diebus se edituram exspectaret, anno praeterito d. m. Quintilis trigesimo tempore nocturno subito animi diliquit, ut videtur, correptam e lecto praecipitem lapsam ad cistamque, quae prope posita erat, illisam die postero hora tertia pomeridiana, capite humi jacente eruribusque adhuc in lecto collocatis, omnino suffocatam a vicinis inventam esse. Quos inde, quum foetum etiamtum vivere cognovissent, ignaros, quid facerent, statim dextrum cadaveris latus, quo foetum positum esse viderant, calefecisse, qua agendi ratione usque ad diem sequentem continuata, foetum, calore admoto, fortius fortiusque moveri visum esse. Quo statu quum cadaver Kalendis Sextilibus sub vesperum in area composuissent,

demum d. m. Sextilis II hora matutina tertia infantem e cadavere prodiisse. Hoc animadverso, circumstantes infantem extemplo accepisse eumque, quum bis ore liante aliquid captare visus esset, mox mortem obiisse ¹⁰⁾).

N. XI. In Sphingis theologico-philosophicae capite XVII maritus quidam, dum uxori suae demortuae funus pararet, magnum clamorem e loculo editum audisse, indeque infantem alacrem et optime valentem e cadavere exeuntem vidisse narratur ¹¹⁾).

N. XII. Mulier vetula annos XLV nata anno 1854 d. m. Martii XXXI hora quarta pomeridiana, viscerum thoracis affectione inflammatoria praegressa, suffocationis symptomatis extincta est. Quae inde a medio mense Novembri anni praeteriti praegnans, quum jam motus foetales sensisset, hos tamen biduo postremo ante mortem desiisse animadverterat. Die sequenti, quum ejus cadaver hora quarta postmeridiana in aedes, quo mortui ante sepulturam deferuntur, portassent, nec oris lineamenta commutata nec ullum odorem putridum cognoverant. Duo vespillones tamen, dum mortuae indusium induunt, inter labia majora corpus rotundum laeveque, colore subrubicundo tinctum, conspexerunt. Die m. Aprilis II tempore matutino vespillones, quum iterum tumorem illum intuerentur, cum summa admiratione inter defunctae femora infantem recens natam in arcae fundo jacentem viderunt, quae vitae experta manus pedesque inter se distractos ipsis oppositos tenebat, funiculo umbilicali recente etiamtum cum matre cohaerens. Dr. *Meyer* nulla putredinis vestigia in cadavere deprehendit. Corpus rotundum, quod vespillones animadverterant, vagina prolapsa erat ¹²⁾).

N. XIII. Figuli cujusdam uxor ad spasmos admodum proclivis anno 1844 d. m. Aprilis X tempore meridiano in-

8) *Val. Maximus*: Factorum dictorumque memorabilium Libr. I. Lipsiae 1782. Cap. VIII. pag. 68.

9) *Joh. Veslingius*: Observat. anatom. 7. pag. 48. Casus desumptus ex *Schurig*: Embryologia. Sect. VI. Cap. VI. pag. 577.

10) *Ephemerid. nat. cur.* Dec. III. Ann. IV. Francofurti et Lipsiae 1697. Obs. 83. pag. 178.

11) Casus desumptus est ex *Thom. Bartholini* hist. anat. Hafniae 1654. Cent. II. Hist. 99. pag. 352.

12) *Monatsschrift für Geburtskunde und Frauenkrankheiten.* Berlin 1854. Vol. 4. Fasc. 2. pag. 137.

fantem tertium enixura in lecto decubuit. Paulo post spasmi universales ingruerunt, quos nullo modo sedare contigit. Uteri ore aperto, forceps in usum vocata est, qua tamen quum caput infantile protrahi nequisset, d. m. Aprilis XI *Muhrbeck*, vir clarissimus, in auxilium vocatus parturientem mentis suae, jam non compotem invenit. Qui quum foetus versionem instituere conatus esset, hoc tamen neutiquam successit, quo facto mulier paulo post, d. m. Aprilis XI tempore pomeridiano, morte obiit. Inde quum, auctore medico, qui non nisi asphyxiam adesse suspicabatur, foeminam intactam in lectulo reliquissent, mane sequenti summa cum admiratione infantis omnino maturi partum observarunt ¹³).

N. XIV. *Eber*, anno 1557 inter oppidula Zyphen et Deventer virum cum uxore sua suspensum esse tradit, quae mulier, horis 4 transactis, geminos vivos peperisse dicitur ¹⁴).

N. XV. Prope Halam Saxonum vir nobilis bulgam ex ephippio dependentem perdidit, quam foemina gravida invenit. Quae, quum clericus quidam ipsi obvius factus esset, bulgam ei ostendit, se eam invenisse affirmans. Inde, postquam breve viae spatium unâ confecerunt, clericus, muliere occisa, bulgam secum abstulit. Nobilis, bulgam amissam desiderans, quum revertisset, cadaver mulieris juxtaque gemellos recens natos invenit ¹⁵).

N. XVI. Fera praegnans, pariendi tempore jam instante, a venatore per imprudentiam ita conjecta est, ut statim post ictum, quo cor transfixum erat, periret. Cui quum pellem detrahare coepissent, vehementibus abdominis motibus animadversis, post brevissimum temporis spatium hinnuleus alacer in lucem prodit ¹⁶).

N. XVII. Foemina quaedam Coloniensis, quae morbo

13) *Mende*: Beobachtungen und Bemerkungen aus der Geburtshülfe und gerichtlichen Medicin. Göttingen 1824. Vol. I. pag. 108.

14) *Diomed. Cornarii* hist. admirand. rarior. Hist. XIV. pag. 47.

15) *Philippi Salmuthi* observat. Cent. II. Observat. 1. pag. 60.

16) *Caspar's* Wochenschrift. 1834. pag. 26.

acuto consumpta fuerat, die sequenti foetum jam mortuum enixa est ¹⁷).

N. XVIII. *Nicolai*, cerevisiae coctoris, uxor sexta ante partum septimana Hafniae in nosocomio diem supremum anno 1653 mense Octobri obiit. Horis duodequingenta interjectis, quum abdomen et thorax intumuisent, abdominis parietes dirupti, vestesque scissae sunt. Quod ubi mulieres vigilantes animadverterunt, foeminae femoribus distractis, foetum e genitalibus prodeuntem viderunt ¹⁸).

N. XIX. In vico Troenninge mulier quaedam, partu difficili nondum confecto, mortem occubuit. Biduo post puerulus mortuus editus fuit ¹⁹).

N. XX. *Hochstetter* viginti septem post matrem mortuam horis infantem summo cum strepitu e cadavere exeuntem vidit ²⁰).

N. XXI. *Polisius* casum quendam enarrat, in quo foetus jam mortuus, duobus post matris decessum diebus transactis, inter ejus femora repertus fuerit ²¹).

N. XXII. Foemina quaedam annorum XL feбри intermittente admodum debilitata, quum partus difficultatem sustinere non potuisset, mortua est. Triduo post quum in eo esset, ut sepeliretur defuncta, infans mortuus unâ cum ingenti liquoris amnii copia magno cum strepitu expulsus est ²²).

N. XXIII. Domina *de Annenberg*, quum ultimo gravi-

17) *Fabr. Hildani* Observat. chirurg. Cent. III. In Nobili Oppenheim 1614. pag. 512.

18) *Thom. Bartholinus*: Hist. anat. Cent. II. Hist. 99. pag. 350.

19) *Thom. Bartholinus*: Act. Hafn. Vol. II. Obser. 35. pag. 92. Casus a me desumptus est ex *Schurtz*: Embryologia. Sect. II. Cap. I. pag. 116.

20) *Hochstetter*: Ephem. nat. cur. Francofurti et Lipsiae 1674. Dec. VI. Cap. III. pag. 686.

21) Ephem. nat. cur. Dec. II. Ann. IV. Norimbergae 1686. Obs. 42. pag. 102.

22) Ephem. nat. cur. Dec. III. Ann. III. Francofurti et Lipsiae 1696. Obs. 44. pag. 50. Obs. Hoyeri.

ditatis mense male se habere coepisset, repentina morte exstincta est. Triduo post foetus mortuus prodiit ²³).

N. XXIV. *Roesler* amitam suam parturientem convulsionibus epilepticis affectam morti obiisse, dieque sequenti foetum mortuum inter ejus femora repertum esse tradit ²⁴).

N. XXV. *Plater* d. m. Quinctilis 20 tempore pomeridiano ad foeminam, quae jam longius per tempus acerrimis ad partum doloribus vexata fuerat, auxilio vocatus brachium dextrum infantis, juxta caput prolapsum, atque, ut ipse refert, jam semiputridum invenit. Medicus quum ob pelvis angustiam, magnamque genitalium intumescantiam omni operatione abstinuisset, foemina, duabus post ejus adventum horis circumactis, diem supremum obiit. Mane sequenti medicus, quum cadaveris sectionem instituturus venisset, defunctae abdomen duplo tumidius, quam pridie, observavit, ac puerulum jam semiputridum, inter mulieris femora jacentem, vidit ²⁵).

N. XXVI. Anna *Hartranft* quarto matrimonii anno gravida est facta. D. m. Februarii 16, quum hora quinta vespertina partus initium cepisset, dolores ad summum vehementiae gradum accreverunt. Aegrotans, convulsionibus correpta, quae usque ad horam vespertinam nonam continuabantur, partu non edito, morte obiit. At triduo post mortem, quum in eo esset, ut cadaver efferretur, duo foetus mortui, haud deformes, quorum alter sexus virilis, alter muliebri erat, reperti sunt ²⁶).

N. XXVII. In operis ita inscripti: *Vecko schrift för Laekare och Naturforskare, Stockholm 1785, vol. VI. memoriae proditum est, quum foeminam, quae in partu difficillimo mortem occubuisse visa, ideoque seposita fuerat, in loculo*

23) *Ephem. nat. cur. Dec. I. Ann. III. Francofurti et Lipsiae 1673. Obs. 318. pag. 141. Obs. Roesleri.*

24) *ibidem.*

25) *Felix Plater: Observat. select. Mantissa. Basiliae 1680. pag. 76.*

26) *Historisches Lexicon Evangelischer Jubel-Priester und Theologorum. pag. 79. Casus a me petitus est ex: Act. physico-med. Academiae Caes. Leopoldinae-Carolinae.*

condituri essent, infantem jam exanimum e cadavere prodeuntem conspectum esse ²⁷).

N. XXVIII. Foemina quaedam annos 30 nata jam duos per dies gravissimis ad partum doloribus laboraverat, quum denique obstetrix maritum certiore fecit, quod foetus situm transversum idque brachio sinistro praevio obtineret, se nihil auxilii afferre posse. Qua de causa medicum obstetricium confestim e vicinia advocari placuit, qui, brachio, quod valde intumuerat, amputato, primo ope manuum, postea unco adhibito foetum ex utero protrahere conabatur. Inde, quum plures conatus frustra cepisset, medicus et ipse, mulieri auxilium praestari non posse eamque haud dubie morituram esse, propinquis confessus est. Quam ob rem quum Dr. *Sachtleben*, artis obstetriciae peritissimus, accessisset, foemina tamen, aliquot horarum spatio interposito, acerrimis doloribus mortem comitantibus, exstincta est. Medicus, quum propter itineris longinquitatem sero tandem auxilio advenisset, mulierem jam decem horis antea mortem occubuisse cognovit. Tum, cadavere diligentius inspecto, abdomen valde tumefactum invenit, atque mirabundus inter matris femora foetum mortuum, haud parum dilaceratum, conspexit ²⁸).

N. XXIX. Mercatoris cujusdam honoratioris uxor hora matutina tertia laryngophthysi consumpta erat. Die sequenti quum, vestibis exutis, indusio ferali indueretur, nihil, quod mirationem moveret, animadversum est. Postridie tamen, quum defunctam in loculo composituri essent, infantem mortuum inter femora ejus invenerunt ²⁹).

N. XXX. Foemina quaedam in urbe Meissen anno 1802, dum doloribus ad partum cruciatur, vita decessit. Altero post mortem die tempore vespertino inter matris jam omnino putrefactae femora infans mortuus cum secundinis expulsus repertus est ³⁰).

27) *Casus petitus est ex: Starks Archiv für Geburtshülfe, Frauenzimmer- und Kinderkrankheiten. Jena 1787. Vol. I. Fasc. 2. pag. 162.*

28) *ibidem Jenae 1797. Vol. VI. Fasc. 4. pag. 563.*

29) *Hufeland's Journal der practischen Heilkunde. Berlin 1821. Vol. LII. Fasc. 4. pag. 97. Observatio a Schenk facta.*

30) *ibidem Berlin 1806. Vol. XXIII. Fasc. 3. pag. 166. Observatio a Neumann facta.*

N. XXXI. *Ebel* in foeminae cujusdam longiore ant tempore defunctae inspectione legali, loculo aperto, infantem omnino maturum mortuumque cum secundinis inter matris femina invenit. Quae mulier postquam decesserat, quamquam per triduum insepulta manserat, tamen toto tempore nulla insignior mutatio in cadavere deprehensa fuerat ³¹).

N. XXXII. Prof. *Riecke*, vir celeberrimus, casum quendam observavit, in quo, quadraginta post matris mortem horis elapsis, ejus cadavere jam manifesta putredinis signa prae se ferente, infans mortuus cum secundinis propulsus est ³²).

N. XXXIII. In opere ita inscripto: New-York medical and physical Journal 1847 m. Oct. foemina quaedam octavo graviditatis mense tempore inter horam matutinam sextam et septimam interjecto mortem occubuisse traditur. Diei sequentis tempore vespertino mulier prope ad defunctae lectulum accedens, quum cadaveris motum animadvertisset, ipsa tamen se specie vana delusam esse credidit. Postridie autem mane defunctam puerulum exanimem edidisse cognitum est ³³).

N. XXXIV. Dr. *Kraft*, Judaei cujusdam uxore *Rachel Wolf* m. Aprilis d. 18 sub graviditatis exitum variolis consumpta, die sequenti se infantem maturum, at mortuum, cum secundinis editum, in quo nullum putredinis vestigium deprehendi potuerit, inter cadaveris femora invenisse refert, de quo partu neminem ex propinquis quidquam cognitum habuisse commemorat ³⁴).

N. XXXV. Matrona quaedam nobilis, undecies partibus abnormibus perfuncta, graviditate duodecima, doloribus

ad partum coeptis, jam per horas 36 laboraverat, quum *Mursinna*, vir cl., auxilio vocatus est, qui dextrum foetus brachium, admodum tumefactum, propendere vidit. Matronae genitalia crebris foetus convertendi conatibus et inflammata erant et valde intumuerant. Aegrotata, quum infantis brachium reponi non concessisset, partu non edito, paulo post medici adventum vita decessit. Postea tamen *Mursinna*, matronam illam postridie mortem gemellos exanimos enixam esse, comperit ³⁵).

N. XXXVI. Rustici cujusdam uxor, graviditate extrema febris consumpta, quum seposita esset, infans exanimis tertio die post inter matris femora inventus est ³⁶).

N. XXXVII. Cuparii cujusdam uxor sexta graviditate exeunte metrorrhagiis laborabat, quod sanguinis profluvium d. m. Aprilis 9, quo dolores partum praesagientes primum exstiterunt, summum vehementiae gradum assècutum est. Die insequenti medicus obstetricius in auxilium vocatus et aegrotam admodum debilitatam invenit et metrorrhagiae causam e placenta praevia repetendam esse cognovit. Qua placenta resoluta quamquam sanguinis profusio diminuta est, omnes tamen partus peragendi conatus successu caruerunt. Denique mulier, foetum non enixa, d. m. Aprilis 11 hora matutina undecima mortem cum vita commutavit. Noctu defunctae maritus materque strepitu audito prima luce infantem exanimem cum secundinis repererunt. Facta inde inspectione legali, completam uteri inversionem adesse nec non putredinem jam satis progressam esse cognitum est ³⁷).

N. XXXVIII. Nautae cujusdam uxor debilis atque irritabilis, mensem nonum jam gravida, quum graviore animi

31) ibidem Berlin 1822. Vol. LIV. Fasc. 6. pag. 72.

32) Elias v. *Siebold*: Journal der Geburtshülfe, Frauenzimmer- und Kinderkrankheiten. Frankfurt a. M. 1831. Vol. X. Fasc. II. pag. 389.

33) Qui casus a me desumptus est ex *Meisner*: Forschungen im Gebiete der Geburtshülfe. Leipzig 1826. part I. pag. 335.

34) Medicinische Zeitung des Vereins für Heilkunde in Preussen 1844. Qui casus a me petitus est ex *Strehler*: Inaug. Diss. über das Gebären nach dem Tode der Mutter, Zürich 1847. pag. 10.

35) *Mursinna*: Medicinisch-chirurg. Beobachtungen. 1. Sammlung. pag. 162. Casus a me petitus ex *Strehler*: Diss. inaug. pag. 11.

36) *Klose*: System der gerichtlichen Physik. Berlin 1814. pag. 308. sq. Qui casus desumptus est ex.: *Henke's* Zeitschrift. Erlangen 1830. Vol. XXI. pag. 395.

37) *Maizier*: De partu post matris mortem. Appendix. pag. 24. Qui casus desumptus est ex *Strehler*: Dissert. inaug. pag. 16.

commotione affecta esset, ventriculi doloribus et symptomatibus spasmodicis laborare coeperat, quo statu die eodem, quo medici auxilium petatum erat, mortem tam repentam obiit, ut asphyxia statuenda esse videretur. Nihilo secius tamen vitae revocandae remedia nullo successu fuerunt. Nocte autem hora tertia, duodecim post mulieris mortem horis elapsis, cum magna liquoris amnii copia, quae foetidissimum odorem spargebat, infans in lucem est editus. Perinaeum totum diruptum erat, quod spatium pariter atque arcum ossium pubis uterus inversus jam impleverat. Abdomen adeo tumefactum, ut jamjam dirumpi videretur, duplo altius, quam graviditatis tempore fuerat, elatum cernebatur³⁸⁾.

N. XXXIX. Foemina quaedam in oppido Guesen quadragesima graviditatis hebdomade typho petechiali consumpta est. Die post mortem, quum omnia putredinis signa in conspectum venissent, maximeque in abdomine eximia gasorum evolutio exstitisset, completa uteri inversio facta est. Medicus vocatus infantem inter matris femora situm, ope funiculi umbilicalis cum placenta conjunctum, invenit, quae placenta, lateri dextro fundi uteri adhaerens, facile tamen resolvi potuit³⁹⁾.

N. XL. Sectione legali cadaveris *Mariae Rheinsdorff*, quae septimum jam mensem praegnantis mariti sui veneficio, ope arsenici patrato, periisse ferebatur, quattuor post mortem hebdomadibus instituta, modica cadaveris putredo foetusque inter matris femora positus inventus est. Uterus, qui inversus e genitalibus propendebat, satis putrefactus cernebatur. Ante exsequias neque obstetrix, neque defunctae mater quidquam animadverterat, unde conjici posset, foetum illo tempore propulsum esse⁴⁰⁾.

N. XLI. In foemina quadam annorum 24, quae intoxicatione nimio belladonnae usu effecta perierat, altera post

38) *Loder's Journal für Chirurgie und Geburtshülfe*. Vol. I. Fasc. III. pag. 519. Qui casus desumptus est ex: *Mende's Beobachtungen*. Vol. I. pag. 108.

39) *Rust: Magazin für die gesammte Heilkunde*. Berlin 1827. Vol. XXIII. Fasc. II. pag. 333.

40) Commentatio Dr. *Klaatsch* in: *Henke's Zeitschrift für die Staatsarzneikunde*. Erlangen 1826, Vol. XII. pag. 23.

mortem nocte foetus quattuor mensium omnino maceratus cum secundinis inter femora positus uterusque inversus ex labiis majoribus expulsus inventi sunt⁴¹⁾.

N. XLII. Sutoris cujusdam uxor, fere annos 28 nata, gracilis et fusca, duos jam liberos enixa, quorum posterior anni unius cum duobus mensibus erat, menstruatione, dum infans lactatur, non reversa, tertium gravida facta, quando haec graviditas coepisset, certo dicere non potuit. Motus foetales primum tempore inter d. m. Martii 11 et 18 interposito sentiri coeperant. Ceterum graviditas usque ad d. m. Junii 14 secundum normam decurrerat, quo die mulier, graviori animi aegritudine praegressa, in morbum incidit. Dr. *Pank* in auxilium vocato, aegrotata vehementissimos capitis dolores, qui nunquam cessarent, nec non summam inquietudinem conquesta est. Die 16 tempore pomeridiano venaesectione facta, tamen phaenomena illa, praesertim capitis dolores atque inquietudo, tantopere aucta sunt, ut Dr. *Pank* die 17 hora 8 matutina accessit nihil auxilii praebere posse, foeminaeque haud dubie morituram esse confiteretur. Re vera hora octava cum dimidia mors insecuta est. Inde Dr. *Walter*, professor honoratissimus, advocatus mortuam hora undecima cum dimidia inspexit, qui extremitates caputque et thoracem frigida, digitos omnino rigidos, faciem pallidam solumque abdomen tepidum observavit. Auscultatione facta, neque cordis foetalis ictus, neque strepitus uterinus percipi poterat, fundo uteri inter cordis scrobiculum et umbilicum posito. Prof. Dr. *Walter* marito, ut sectionem caesaream institui permetteret, auctor exstitit, quamquam et ipsi persuasum erat, hac operatione infantem jam mortuum excisum iri.

Vir tamen id se permissurum negavit, Postea quae facta sunt, vir doctissimus a defunctae marito duabusque obstetricibus accepit. Cadaver, quum brevi eodem, quo mors inciderat, die in putredinem abiret, quum ex ore naribusque sanguis decompositus proflueret, quum facies intumesceret ac decoloraretur, in loculo conditum est. Quo facto

41) ibidem pag. 44.

abdomen adeo tumefactum est, ut, quum metuerent, ne locus justo angustior futurus esset, arcam majorem comparari necessarium videretur. Loculus in aedium parte adjuncta sepositus est, ubi quidem aëris temperies frigidior esset. Calores eo tempore maximi erant, crebris imbribus ac tonitribus conjuncti. Quo modo quum d. m. Junii 17 et 18 elapsi essent, nocte diem 19 insecuta fere inter horam 2 et 3 strepitus quidam in loculo exortus est, canum mussitantium fremitui consimilis, quo facto paullo post horam tertiam finitam iterum strepitus auditus est, pedum arcae lateribus illisorum sono simillimus. Inde quum maritus e muliere quadam petisset, ut, quid rei ageretur, inquireret, haec mortuae femora inter se distracta interque ea infantem cum secundinis expulsum reperit. Inter femina tumor rotundus, colore subcaeruleo imbutus, ejusdem, qua caput infantile est, magnitudinis ex genitalibus prominebat (inversio uteri), abdomenque valde collapsum cernebatur. Obstetrix quoque, quae postea accessit, de tumore, inter femora posito, sibi persuasit. Infans totus foras propulsus, inter femora situs, nisi quod in dorso vesica sanguine impleta aderat, ceterum haud deformis videbatur. Obstetrix nec infantem protraxit, nec secundinas resolvit ⁴²).

N. XLIII. *Henrici Mueller* uxor, annos 28 nata, quum primum dolores partum praesagientes ingruerunt, obstetricem die m. Maji 23 advocari jussit. Quae, postquam foetus situm abnormem cognovit, versionem, quod dolendum est, summa cum inscitia atque tarditate suscepit, quo factum est, ut, quum aegrota per aliquot horas acerrimis doloribus vexata esset, maritus obstetricem a quovis partus juvandi conatu absistere juberet. Jam mulier, omni artis auxilio destituta, die 24 hora nocturna tertia mortem occubuit. Horis 13 circumactis, mater defunctae, quum filiam ultimum adspicere voluisset, mirabunda inter ejus femina infantem jam mortuum cum secundinis invenit ⁴³).

42) Quem casum egregiae professoris illustrissimi Dr. *Walter* benignitati acceptum refero.

43) Act. physico med. Academiae Caesareae Leopoldinae-Carolinae. Vol. VII. Obs. 128. pag. 460.

N. XLIV. *Tobiae Koch* uxor hora nocturna altera diem supremum obiit. Postridie hora pomeridiana secunda cum dimidia foetus jam exanimus propulsus est ⁴⁴).

N. XLV. Muliere quadam in partu exstincta, paulo post et maximus auditus est strepitus et inter matris femora foetus exanimis repertus fuit ⁴⁵).

N. XLVI. Foemina quadam in Anglia vesperi mortua, mane sequenti inter femora infans mortuus inventus est ⁴⁶).

N. XLVII. Matriona quaedam nobilis, quum partus difficillimus longius per tempus, infante non egresso, continuatus esset, viribus exhaustis, hora vespertina quinta vita decessit. Die sequenti hora matutina tertia, maximo strepitu exorto, infans mortuus, duobus dentibus incisivis instructus, in lucem prodiit ⁴⁷).

N. XLVIII. Foemina quaedam ultimo graviditatis mense febris intermittenti apoplecticae succubuit, quae mors tempore pomeridiano inter horas quartam et quintam incidit. Nocte media mulier vigilias agens illo ex loco, quo cadaver depositum erat, sonum mussitantem percipiebat. Quare terrore perculsa, quum mortuam revixisse crederet, ejus propinquos advocavit. Qui, re diligentius explorata, inter matris femora infantem omnino maturum, at mortuum, reppererunt ⁴⁸).

44) *Phil. Salmuth*: Obs. med. Cent. II. Obs. 36. pag. 75.

45) ibidem.

46) *Harvey*: De generatione animalium. Lugd. Batavorum 1737. pag. 359.

47) *Schenk*: Observat. med. Libr. I. Fol. 590. Casus desumptus est a me ex *Schurig*: Embryologia. Sect. VI. Cap. VI. pag. 582.

48) *Preussische Vereinszeitung*. Berlin 1833. Nr. 16. pag. 72.

Pars altera.

Quaeritur, qua vi post matris mortem infantis partus efficiatur.

Ad explicandam hanc quaestionem plurimum interest, ut investigetur, utrum omnes illi casus, qui de infantibus post matrum mortem editis afferuntur, jure huc trahi queant, an forte partus in matris statu asphyctico peractus fuerit. Quae res tanto majoris est momenti, quod ad hunc usque diem nullum exstat signum omnino certum, quo nobis statim post obitum de vera morte persuadere possimus.

In casibus illis, quos primum et secundum retulimus, dubium non est, quin mater, quum partum edidit, nondum re vera mortua fuerit, nisi forte placet, praeunte *Gregorio Nymanno*⁴⁹⁾, statuere, matrem jam mortuam infantem enixam esse, hunc autem ad eum, quem diximus, locum repsisse.

Pariter matrem, de qua casu tertio memoravimus, asphyxia affectam fuisse, inde apparet, quod et crura ejus sursum attracta et totum corpus paululum latus versus inclinatum fuisse narratur.

Porro omnes illos casus eodem referendos esse existimo, in quibus longiore post matrum decessum tempore

foetus aut vivi, aut paulo ante partum mortui in lucem editi esse feruntur, quales sunt casus sub num. 4 — 12 prolati.

Etenim 1) omnes hi casus tempore priore observati sunt, quo, quum animi attentio minus ad mortis verae symptomata converti soleret, facilius accidit, ut asphyxia cum morte confunderetur. Quae est causa, cur illis temporibus tales partus longe frequentius, quam nostris, observati esse dicantur. Quae res etiam ex verbis *Bartholini*⁵⁰⁾ colligi potuerit, qui quidem tradit, feminas rusticas in Dania opinione quadam praejudicata ductas, si quando mater, partu non edito, mortem occubisset, quum persuasum haberent, foetum sua ipsius vi utero exiturum esse, spongias, acus, fila, alias res ad partum necessarias, quibus infans uti posset, simul in loculo deponere solitas esse. Quibus verbis haud dubie indicatur, illa aetate in ejusmodi partibus nihil insigne, nihil mirum esse creditum fuisse.

2) Modus, quo foeminae mortem obiisse narrantur, eo nos adducit, ut asphyxia correptas fuisse sumamus. Namque in casibus quinto et sexto foeminae, viribus partus difficultate consumptis, cum vehementissimis parturientium doloribus mortuae sunt, vel, ut veriore utamur vocabulo, mori visae sunt. Praeter dolores autem ad partum convulsiones quoque exinanitionis statum provocare possunt, quod mortis genus in casibus septimo et nono invenimus.

3) Inter casus ab *Heymann*⁵¹⁾ collectos, saeculo undevicesimo observatos, in quibus post matrum obitum infantes ope sectionis caesareae editi sunt, unus tantummodo reperitur casus, in quo, quum operatio dimidia post matrem mortuam hora suscepta esset, infans debilis per horam dimidiam vita fructus sit. Altero casu, quo sectio caesarea sexagesimis 25 post matris mortem instituta fuerat, infantem quinque per dies in vivis servare contigit.

Ceteris in casibus terminus ultimus, quo operatio pro-

49) *Gregorius Nymannus*: Dissertatio de vita foetus in utero. pag. 27. Quae sententia ejus a me cognita est ex *Schurig*: Embryologia. Sect. VI. Cap. VI. pag. 586.

50) *Thom. Barth.*: Hist. anat. Cent. II. Hist. 99. pag. 351.

51) *Heymann*: Die Entbindung kochler Schwangerer in Beziehung auf die lex regia. Coblenz 1832. Tab. II—V.

spero successu facta erat, quindecim post matrum mortem sexagesimarum fuit.

Casus tempore recentiori observatos, in ephemeridibus de arte obstetricia ⁵²⁾ allatos, in quibus infantium vita longius per tempus continuata esse perhibetur, verisimile est ad matris asphyxiam referendos esse. Ob causam jam memoratam etiam casus duodecimus huc trahatur oportet, quippe in quo infantem vixisse, ex ejus situ eluceat. Quam ob rem cum auctore, qui casum tradidit, consentiendum esse credimus, qui quidem mulierem illo, de quo dictum est, tempore non jam mortuam, sed summo syncopes gradu implicitam fuisse censet, quo durante, quum velamenta in summa dyspnoea jam ante dirupta essent, partus praematurus editus fuerit.

Denique casus a *Muhrbeck* observatus, quem tertium decimum posuimus, tum propter commemoratam mortis causam (eclampsiam), tum quod medicus ipse foeminam asphyxia correptam esse suspicatus est, ad partus post matris mortem non pertinere credatur.

Jam hisce casibus, quippe in quibus partus ante matrum mortem factus videatur, omissis, si quaeratur, qua ratione infans post verum matris decessum pari possit, hac de re a viris doctis diversissimas sententias propositas esse videmus.

I. Auctorum priorum plerique propriam infantis in partu actionem statuunt, ex quibus *Roesler* ⁵³⁾ haec verba facit: „Putarem itaque foetum non mortuum, sed vivum et debilem sibi ipsi viam quaesivisse, invenisse, et defectu adjutoris demum mortuum,“ et deinde, postquam sententiam altero exemplo confirmavit, haec adjicit: „Quum itaque hoc certo certius est, mea sententia, si partus institerit, et embryo in procinctu fuerit ad egrediendum, etsi mortuus, tamen laxatis post mortem omnibus membris et simul ligamenti uteri gravitate descendere, et sic partus post mortem tam matris, quam foetus subsequi posse.“ Quae sententia de in-

52) *Neue Zeitschrift für Geburtskunde.* Berlin 1836. Vol. IV. pag. 58.

53) l. c. pag. 535.

fantis in partu actione quamvis aetate recentiore *Friedreich* ⁵⁴⁾, virum ingeniosissimum, defensorem nacta esset, tamen postea, praesertim commentationibus a *Rath* ⁵⁵⁾ et *Blaff* ⁵⁶⁾ conscriptis, ita impugnata est, ut nunc quidem plane repulsa esse videatur. Neque minus alienum est statuere, infantis gravitate, praesertim in horizontali matris situ, unquam partum effici posse.

II. Uteri vis elastica pro partus causa affertur, de qua *Mende* ⁵⁷⁾ his verbis utitur: „Wir müssen vorzugsweise Rücksicht nehmen, dass die Gebärmutter im Zustande einer Thätigkeit ist, der das Zusammengezogenensein als Ruhe gegenübersteht.“ Ceterum, quum uterus unâ cum foetu accrescat ambituque augeatur, et mechanica uteri extensio foetu effecta non nisi exigui momenti sit, hanc quoque opinionem non ita difficile est redarguere.

III. *Stark* ⁵⁸⁾, vir clar., partus causam in rigore mortis musculorum uteri, nec non diaphragmatis et musculorum abdominalium reponendam esse judicat. Attamen, licet verum esse statuamus, quod multi physiologorum contendunt, in rigore mortis fibras musculares breviores existere, nihilominus, quum etiam oris uteri muscoli eodem modo contrahantur necesse sit, haec vis neutiquam ad partum peragendum sufficere videtur. Quo accedit, quod, uti ex investigationibus de rigore mortis a Dr. *Krause* ⁵⁹⁾ institutis apparet, talis fibrarum muscularium contractio omnino non exstare videtur, neque inter casus supra enarratos ullus reperitur, qui nos adducat, ut in rigore mortis partus causam ponamus.

IV. Auctorum recentiorum, quibus tales casus obser-

54) *Henke's Zeitschrift für Staatsarzneikunde.* Erlangen 1831. Vol. XXI. Fasc. II. pag. 391.

55) *ibidem* Erlangen 1832. Vol. XXIII. pag. 408.

56) *Stebold's Journal.* Frankfurt a. M. 1834. Vol. XIII. pag. 145.

57) l. c. pag. 135.

58) l. c. Vol. VI. Fasc. VI. pag. 568. Nota 4.

59) *Ernst Krause: De rigore mortis.* Diss. inauguralis. Dorpati Livonorum 1863. pag. 39.

vandi occasio oblata est, plerique infantium partum post matrum mortem perdurante etiam tum uteri contractilitate effectum esse arbitrantur. Quam sententiam *Meisner, Mende, Ebel, Neumann, Schenk, Rudolph, Riecke, Stark* in casuum, quos attulerunt, explicatione proferunt.

Argumenta, quibus nituntur, haec sunt:

1) Mortem a diversis organis initium capere posse, utrumque praeterea vitam quasi propriam, ab illis non dependentem, degere ajunt, id quod ex matrum aegrotantium graviditatibus partibusque prospere exeuntibus appareat.

At multis in casibus, in quibus perdurans uteri contractilitas pro partus causa commemoratur, mors ab ipso utero inceptit, multasque foeminarum, partu nondum finito, e contrario virium exinanitione consumptas esse videmus. Quod autem *Strehler* statuit, si qua foemina uteri viribus exhaustis mortua sit, post obitum uteri irritabilitatem modum, quem ipso mortis momento tenuerit, etiam excedere posse, id quidem a veritatis specie quam longissime abest. Hoc enim ne fiat, impedimento est, quod necessariae contractilitatis conditiones, velut sanguinis circulatio, jam deficiunt.

2) Satis constare contendunt, musculos post mortem aliquamdiu contractilitatem suam servare. Verumtamen tempus, quo id fieri possit, certis circumscriptum est limitibus. Nam, rigore mortis exorto, musculorum facultas post irritationem se contrahendi desinit. Qui rigor, sicuti ex disquisitionibus a Dr. *Krause*⁶⁰⁾ institutis patet, musculos laeves aliquanto prius, quam musculos striatos, corripit. Testante *Krause*, rigor inter horam dimidiam et horam cum dimidia post mortem ingruit. Auctore *Nysten*⁶¹⁾, rigor jam sexagesimis 45—55 post obitum existit. Ceterum, etiamsi propter observationum susceptarum numerum perquam exiguum concedendum sit, quibusdam in casibus rigorem mortis serius etiam exoriri posse, tamen perdurans uteri contractilitas inde a ipso mortis momento deminuitur, atque, quum

praesertim hoc in casu adjuvantes parturientium ipsarum labores deficient, ad ultimum vix ad foetum propellendum sufficiat. Itaque, licet non omnino negari queat, matris post mortem uteri contractilitate partum effici posse, tamen rerum conditiones; quibus tum partus fiat, multo minus, quam viva matre, ad eum adjuvandum valent. Quae quum ita sint, sententiae *Mende*⁶²⁾, viri cl., assentiendum videtur, qui, ut uterus etiam post mortem contractilitate sua foetum propellere valeat, partum jam ante initium cepisse et uteri os apertum esse, necessarium judicat. Quae res eo est verisimilior, quod agonia saepe maximi ad partum momenti esse cernitur. Sic Dr. *Klaatsch*⁶³⁾ duos in medium protulit casus, in quibus os uteri aliquot ante mortem horis omnino clausum, et statim post decessum adeo dilatatum fuerit, ut foetus demortuus ope forcipis extrahi posset.

Jam si ad exempla in parte priorie allata oculos conijciamus, in casibus 14, 15 et 16 partus uteri contractilitate provocatus esse credatur. Qua in re tamen respiciendum est, in casibus 14 et 15 mulieres violenta morte extinctas partum edidisse. Omnes autem vehementiores animi commotiones uteri actionem accelerare solent. Exemplo sit casus a Dr. *Klaatsch*⁶⁴⁾ enarratus, in quo, quum vir doctus foeminae cuidam maxillae inferioris luxationem reponeret, partus, qui, quamquam instabat, tamen nullis dum doloribus praesagentibus indicatus fuerat, pavore atque dolore initium cepit, ac, dum repositio fit, ad finem adductus est. Sic et *Bartholinus*⁶⁵⁾ foeminam quandam Lugduni Batavorum, quae suffocando sibi mortem consciscere voluisset, in agonia infantem enixam esse tradit. Quo modo etiam casus 14 et 15 explicare possumus. In casu 16 de fera praegnante mentio facta est, at quaeritur tamen, quatenus ex hac analogia de hominum partu conclusio effici possit. Itaque casibus modo allatis, num perdurans post mortem matris uteri contractilitas foetum expellere valeat necne, ad liquidum non

60) l. c. pag. 29.

61) *Ludwigs Physiologie*. Heidelberg 1853. Vol. I. Sect. II. pag. 351.

62) l. c. pag. 137.

63) l. c. pag. 41.

64) l. c. pag. 36.

65) *Thom, Bartholinus*: Hist. anat. Cent. II. Hist. 97. pag. 353.

perducitur, quae quidem quaestio ut rite explicetur, omnium maxime necessarium est, statim post mortem certum ejus signum exstare.

V. Partus post matris decessum pressione, quam gasa putredine evoluta ad uterum exhibeant, effici putatur. Quo modo jam *Hoyer*, *Kulmus*, *Plater* partum post matris mortem explanarunt, nec non ex autoribus recentioribus *Strehler* hanc sententiam propugnat.

Gasorum pressio quantam vim exhibere possit, ex casu 18 manifestum est, in quo quidem abdominis parietes gasorum pressu diruptos esse cognovimus. Adde quod vis maxima, qua uteri os conclusum tenebatur, putredine coepta desinit, quo facto muscoli oris uteri, ad summam relaxationem redacti, crebro ac vehementi gasorum impetui resistere non possunt. Qua re evenit, ut non solum ea, quae utero insunt, expellantur, verum etiam uteri relaxati inversio provocetur.

Quae in casibus 37—42 observata est. Ad quam uteri inversionem efficiendam, praesertim in horizontali matris demortuae situ, infantis gravitas vix sufficiat, id quod ex casibus 37, 41, et 42 intelligitur, in quibus, quamquam placenta resoluta, tamen uteri inversionem factam esse videmus. Haec inversionis uteri exempla solum in casibus tempore recentiore diligentius observatis allata sunt, at quaeritur, nonne, si et aetate priorae investigatio accuratius facta esset, futurum fuerit, ut talium exemplorum numerus major cerneretur. Ex quibus autem causis pependerit, quod in aliis casibus uteri inversio facta est, in aliis non item, eundem decernere non ausim.

Ex strepitu, qui in casibus 7, 9, 20, 22, 37, 42, 45, 47, 48 auditus esse narratur, partum gasorum evolutione provocatum esse, concludere non licet, quoniam strepitum tum in casibus 7 et 9, in quibus matrem asphyxia correptam fuisse jam diximus, tum in casibus 45, 47, 48, in quibus neque putredo exstitisse discrete traditur, nec ex temporis post mortem elapsi spatio eam exortam esse suspicari possumus, auditum esse supra cognovimus. Qui strepitus aequae a peristaltico tractus intestinalis matris asphycticae motu, atque inde originem ducere potuit, quod matris femora, dum infans paritur, ad loculum illisa sunt. Ita in

casu a prof. honoratissimo Dr. *Walter* mihi tradito strepitus auditus hoc ipso modo describitur.

Jam, si exempla in parte priorae prolata perlustramus, in casibus 17—43 vel gasorum evolutionem factam esse disertis verbis commemoratur, vel, siquidem, auctore Dr. *Maschka*⁶⁶), putredinem plerumque horis 24—36 post mortem initium capere statuimus, ex temporis post mortem transacti spatio de tali gasorum evolutione conjicere possumus.

Ergo, illis casibus, in quibus asphyxiam adfuisse verisimile est, exceptis, in dodrante omnium exemplorum partus gasorum evolutione provocatus est, quorum exemplorum pleraque aetate recentiore sunt observata.

Quodsi gasorum evolutionem ad partum post mortem matris efficiendum sufficere posuimus, haec sententia magna casuum multitudine certissime confirmatur.

Casus 31 autem et 40, in quibus infantis partus postea demum obductione legali forte suscepta compertus est, nobis ostendunt, verisimile esse, si saepius fieri potuisset, ut cadavera longiore post mortem tempore, gasorum evolutione jam perfecta, in pervestigationem vocarentur, futurum fuisse, ut casuum huc pertinentium numerus longe major etiam appareret. Sin quaeratur, quibus ex causis evenit, ut non in omnibus casibus, in quibus matres partu non edito mortem occumberent, foetus postea expellerentur, ad hanc quidem quaestionem ut certo respondeatur, desunt nobis idonea, quibus innitatur, adminicula. Ad quod efficiendum, verisimile est, multas res valere, ut e. c. pelvis angustiam.

Casuum 43—48 enarratio tam manca, tam parum accurata est, ut inde de modo, quo partus peractus sit, nulla deduci possit conclusio. Attamen putredinis initia tam diversa sunt atque a tam diversis rebus dependent, ut, quum praesertim putredo in feminis prius oriri soleat, quam in maribus, eam etiam in nonnullis casuum modo dictorum exstitisse vero absimile non sit.

66) Prager Vierteljahrsschrift. 1851. Vol. III. pag. 112.

Theses.

1. *Thoracis excursions in utroque sexu pares.*
 2. *Asthmatis nervosi causa nunquam in fibrarum muscularium laevium pulmonum spasmone nititur.*
 3. *Ricordi sententia, qua non nisi post ulcus syphiliticum induratum, at tum quidem semper, symptomata secundaria oriri censet, pro falsa habenda est.*
 4. *Graviditas tuberculoseos evolutionem non inhibet.*
 5. *Operationes plasticae secundum methodum a Burow prolatam rejiciendae sunt.*
 6. *Tartarus emeticus omnia cetera antimonii praeparata supervacanea reddit.*
-